

59

D. D.
DISSERTATIO PHYSICA,

De
**UTILITATE
VENTORUM,**

QUAM,

*Ex adprobatione incliti Philosphorum ordinis
in florentissimo ad Auram Helicone,*

PRÆSIDE

**CAROLO FRIDER.
MENNANDER,**

Scient. Natur. PROFESS. Reg. & Ordin.

PASTORE in Rändämäki, & Reg.

Acad. Svec. Scient. MEMBRO,

PRO GRADU

Publico honorum examini modeste lobiicit

JOHANNES TENGSTROEM,

OSTROBOTNIENSIS.

In Auditorio Majori ad diem 23. Julii,

Anno MDCL.

Horis ante meridiem consuetis.

ABOÆ, Impressit DIRECT. & Typogr. Reg. Magn.
Duc. Finland. JACOB MERCKELL.

BRUKS - PATRONEN,
Högachtade Herren,
**HERR J O H A N
JACOB KIJK,**

Min Högtärade Herr PATRON.

Plicht och genplicht, välgierningar och erkiänsla
komma bäft öfverens, och böra altid göra möte. Ett
tackfamt sinne lämnar aldrig något tilfälle å sido, då det
får lof at yttra sin skyldighet. Den illa tiden, på hvilken
jag haft den äran å vistas uti Herr PATRONS heder-
värda hus, har framflutit under många vedermälen af
alt, hvad som kan hetta vnnest och välvilja. Min tilgiv-
venhet fordrar, at jag déremot visar min vördnad; hvil-
ket jag doch ej formår göra på bättre sätt, än genom
denna ringa gäfva, som innehåller enfaldiga tanckär om
Wädrens nytt. Den HERREN, hvars befallningar vädren
uträtta, och hvars ära andra oräkneliga naturens under
dageligen förkunna, forlåne Herr PATRON all välmå-
go och fallhet! Han låte sin välsignelse folja Eder under
en långlig lefhad, och Eder ände bekröne Han med sa-
lighet! önskar jag af hiertat, och har ähran at förblifva

Min Högtärade Herr PATRONS

börsamste tienare,

JOHAN TENGSTRÖM.

I. N. 7.

S. I.

ATmosphærā totum terrarum orbem circumdare, nemo nisi naturæ ignarus negabit. Inter alias proprietates, quas illa possidet, sunt etiam fluiditas & gravitas, quibus accedit elasticitas. Cum tractus hujus atmosphæræ sive aëris sensibili agitatione ab uno in alium locum fertur, ventum efficit. Opiniones veterum physicorum de ventis & horum divisiones eo minus nobis jam vacat enarrare, cum nec historiam ventorum condere, & causas eorum afferre, ob temporis, qua premimur, injuriam liceat, quamvis hæc introductionis loco ad præsentem tractationem, quam pleniorē animo conceperamus, exponere paraverimus. Jam vero harum rerum cupidum ad auctores in præsenti negotio celebratissimos, *Edm. Halleyum*, in phil. transact. Anni 1686. n. 183. *Clericum*, *Dampierum*, *Musschenbrækum* & alios ablegare cogimur. Id indicasse sufficiat, ventos alios esse constantes, alios inconstantes. Priorēs sunt qui semper in plagis suis determinatis flant, quales in amplissimis maribus comprehenduntur. Posteriorēs vagi & erratici plagas suas fixis temporibus non servant. Huc etiam spectant venti subita-

Subitanei & violenti ex alto ruentes; ut Ecnebias, Exhydrias, Praester, Typhon, Turbo, &c. Ratione talium atmosphæræ qualitatum in siccos & humidos, calidos & frigidos venti distribuuntur. De horum utilitate in præsenti aliquid differere brevissimis constitui, quantum ingenii mei est. Benignitatem tuam b. lector, qua par est obseruantia ambio, ut si desiderio tuo minus satisfecero, pro tuo candore me excusatum habeas, qui neminem præter meritum in crimen vocari patitur. Adsit autem conatibus nostris *ILLE*, sine quo labor mortalium irritus est!

§. II.

Primo de utilitatibus ventorum in genere, deinde de cujusque in specie, pauca adferamus. Tanta divinæ providentiaz documenta ex consideratione ventorum, & bonitatis erga genus humanum elucent indicia, ut vel ex iis solis hæc attributa creatoris sufficienter demonstrari possint. Venti in atmosphæra nostra adeo necessarii sunt, ut, si hi abescent, variis venenosis vaporibus & exhalationibus inquinaretur. Quis dubitet, homines non modo sed etiam reliqua animalia in tanta exhalationum quotidie ex corporibus terrestribus adscendentium copia, suffocationis periculum & fatale mox exitium subitura, pestem quoq; & alios morbos venenosos ex hoc stagnante aëre exorituros? Observavit hoc jam olim *Hippocrates*, qui gravem pestilentiam, qua tum laborabat Græcia, ideo supervenisse prohibet, quod esset annus austrinus, pluvius & a ventis in totum silens. Idem in patria nostra Anno 1710. autumnaliter tem-

Li tempore accidebat. Pluribus enim mensibus ventus sensibilis nullus spiraverat; exceptit vero hanc malaciam pestis multa millia hominum, & in sola hac urbe 2000 opprimens. Anno 1655. cum pestis grassabatur in Hollandia, aëris status adeo tranquillus & silentium ventorum præcesserat, quale alias nunquam tuerat observatum. Hinc proverbium de Anglia est tritissimum: *Anglia ventosa, si non ventosa venenosa.* Pisces, aves & insecta idem subirent fatum, nisi aër semper mutaretur & rite illis temperaretur. Aves antliæ pneumaticæ inclusæ, aëre licet interiore in æquilibrio cum exteriori existente, animam efflarunt intra tres horas. Pari modo experimenta cum piscibus & insectis instituta se se habent. Quæ omnia ostendunt, aërem stagnantem & elasticitate sua privatum respirationi omnium animalium inutiliem & lethalem reddi. Haud aliter in regno vegetabilis rem se habere experientia docet. Nam quemadmodum venti plantis, frugibus & arboribus motum, quo conservantur, suppeditant, & vegetationem earum adeo promovent, ut illorum beneficio robur & maturitatem consequi possint; ita ex adverso, sublato motu aëris, ægre vitam trahunt. Plantæ arboresque ventis expositæ & libera aëris fruentes ulura læte vigent, & saniores sunt, quam aliæ in angustiis constitutæ, quæ, licet calore & nutritione sufficiente gaudent, junceæ tamen pallidæ & graciles fiunt; hybernaculis vero inclusæ versus fenestras & aperturas inclinant, liberi aëris beneficium quasi anhelantes. Si bina semina ejusdem speciei in eadem terra plantentur, unum tamen sub recipiente aëre

evacuato, alterum in aëre libero ; diebus aliquot præterlapsis, prius e terra nondum ortum conspicitur, dum posterius aëre libero fruens ad longitudinem aliquot pollicum protrusum jam est. Mirum in modum venti etiam saluti & propagationi vegetabilium contulunt, dum non modo farinam antherarum dispergunt, adeoque aura seminali stigmata fecundant ; verum ipsa etiam semina longe lateque deportant, idque ad dissitas haud raro regiones, & loca inaccessa. Ut vero his partibus suis defungi queat ventus, sunt aliqua seminum exigua & perquam levia ; alia pappo, alis alia instruntur ; sunt etiam nonnulla, quorum volumina inflatione leviora evadere possunt.

§. III.

Ventus vero non modo assidua sua agitatione nocivum & torpidum aërem propellit, & eundem putreficerere non permittit, halitus per eum disseminatos noxios dissipat, ne in detrimentum tum animalibus & vegetabilibus tendant, & ne cum respiratione subeant pulmones nostros, massam sanguinis inficiant, excitent in ea turbas & inordinatos motus, originem præbeant febribus pestilentialibus, aliisque malignis morbis. Idem ventus etiam simul graves alias & nocivas tempestates dissipat. Neque dubium est, quin frequenter fulmina aërem tranarent, ventique vehementes & impetuosi villas silvasq; evertentes, & inundationes terrarum deffessorum producentes, contingereat, nisi continua ventorum agitatio poneret his obstaculum, eorumque materiam in herba quasi suffocaret. Sunt venti præterea

ea scopæ quasi & verricula mundi, quæ non aërem modo purgant, sed & ab ipsa terræ superficie lordes & inquinamenta tollunt; domicilia etiam nostra, fidelium ministrorum instar, non sana modo, sed etiam munda puraque conservant. Est porro alia, eaque insignis ventorum utilitas, quod custodiant aëris temperiem, & nimium ejus vel calorem vel frigus arceant. Calorem intensum adeo temperant, ut viventibus tolerabilis redatur absq; quo refrigerio omnia viventia marcescent & tabescerent, præsertim in locis æquatori proximis. In Anglia æstum Anno 1707. die VIII. Julii adeo nocivum & vehementem fuisse, nullo sensibili vento spirante, prohibetur, ut operarii multi in agris laborantes exspiraverint, & equi in viis coniecti fuerint. Venti itaque assiduis suis agitationibus aërem a calore excessivo solis usum temperant & renovant, ita ut regiones inhabitabiles ope eorum fiant habitabiles. In nostris terris, licet septentrioni sint vicinæ, attamen tempore æstivo nullo vento aërem reficiente, calor solis molestissimus & tere intolerabilis est. Refocillant itaque venti ex frigidioribus regionibus adventantes calidiorum æstus; sed ex adverso etiam calidi venti brumæ frigora mitigant, ita ut horum potissimum ope & circulo terra undiquaque habitabilis reddatur.

§. IV.

Venti benedictionem cœli per totum orbem dispergunt, dum vapores & nubes undiquaque deferunt & dispensant. Vaporum ex aquis & mari adscensui non modo favent, sed etiam illos in nubes cogunt, quæ umbra

bra suā terram obtegunt, ne illa a calore solis detri-
menti quid patiatur, sed habeant animalia umbracula,
vegetabilia etiam succo suo nutritio tranquillus fruan-
tur. Venti nubes, ex quibus pluvia, nives & grandi-
nes proveniunt, ab una parte in aliam transferunt ter-
rarum, ita ut loca maxime a maribus remota rigentur,
& terra sitiens pro indigentia ubique irroretur. Notum
est, majorem terræ partem maribus, lacubus & flu-
minibus constare, ex quibus evaporationes asturgunt,
nubes in sublimi formantes. Hæ quidquid continent
aquæ in eadem loca iterum effunderent, unde illud ac-
ceperunt, adeo ut nihil ex hydragogiis his ad terram
aridam redundaret utilitatis, nisi ventorum alis nubes
huc & illuc commearent; unde fit, ut pluviae per to-
tum orbem rite dispensentur. Nisi vero hoc esset, ter-
ra arida & exsangvis nulla produceret vegetabilia; qui-
bus cum vita animalium nitatur, & hæc brevi pessum
irent. Nec fontium & fluviorum tum diurna daretur
usura, sed omnia in solitudinem plusquam Africanam
abirent. Ut vero hoc officio feliciter fungantur venti, eo-
rum marini & aquosi plerumque vehementes sunt, quo
eo longiori terrarum tractui pluviae beneficium contin-
gat. Providentia divina etiam in hoc negotio est ma-
xime admiranda, quæ tantum non semper ventum
cum pluvia conjunxit, ut ille sit hujus quasi distributor
justus. Ipsa ventorum exsiccandi vis etiam aquæ legi-
timæ dispensationi intervet. Dum enim locus aliquis
nimium humorem adeptus est, detimento illi futurum;
mox superveniens aliis ventus, quod abundat alio a-
vehit.

vehit. Hæc humectandi & exsiccandi ventorum facultas plurimos parit usus œconomicos, quos prolixum esset recensere.

§. V.

Venti in primis validiores & rite proportionati varias machinas aéreas arte humana inventas agitant & circumvolvunt, utpote pistolas alatas ad segetes comminuendas, oleumq; exprimendum, ad paludes exsiccandas, elevandam aquam, asteres parandos, &c. quibus commoda mortalium ingenti cum emolumento & temporis laborisque compendio promoventur, necessitatesque eorum mirum in modum sublevantur; præcipue in illis locis, ubi molis aquaticis non suppetit occasio. Major tamen multo & insignior is ventorum usus est, dum eorum ministerio navigationes circa globum terraqueum peraguntur, dumque Æolus ita navium nostrarum vela implet, ut nullus sit in orbe nostro angulus, unde ea, quæ ad utilitatem & delectationem humanam necessaria sunt, facile adportari nequeant. Navigationes hæ sunt inter palmaria media, quibus DEUS societatem illam inter humanum genus magnam conservat, quibusq; egestati mortalium opem ferre voluit; & quoniam *non omnis fert omnia tellus*, per commercia & ope ventorum unius regionis abundantia ad necessitatem alterius avertendam transportari potest. Quam vero difficile, imo potius impossibile hoc esset sine ventis, res manifesta est. Cum regio quædam annonæ caritate vexatur, incolæ fame enecarentur, nisi navigatio necessitatibus eorum brevi prospiceret,

ret.

ret. Commercia terrestria difficillima sunt, neque late patentia. Absque ventis itaque si essemus, mercaturæ & opificiorum magna pars cesseret. Deliciis non modo, sed etiam necessariis plurimis nobis esset carentum. Multi mortalium vitæ sustinendæ mediis orbaruntur. Ita Hollandia ne decimam quidem incolarum partem sustentare posset, nisi navigationes essent. Idea nostra de magnitudine orbis, rerumque creatarum suspendo numero harumque eximiis proprietatibus & qualitatibus admodum exigua esset, & angustis circumscripta limitibus, nisi venti & navigationes hæc omnia nobis coram contemplanda ob oculos ponerent. Ita geographiæ & historiæ non naturalis modo, sed etiam civilis pars maxima ventis & navigationibus debetur. Scientiæ quoque & artes inde insigni acceperunt incrementa. Verum est igitur illud Seneca: *Providentia divina dedit ventos ad ulteriora cognoscenda. Fuisse homo imperitum animal & sine magna experientia rerum, si circumscriberetur natalis soli finibus.* Deus dedit ventos, ut commoda cuiuscunque regionis fierent communia, non ut legiones equitemque gestarent, nec ut pernicioſa gentibus armata transveherent, sed ut unius soli ubertas ejusque incolarum sagacitas & industria alteri communicaretur.

§. VI.

Expositis vel potius indice digito monstratis palmarii ventorum utilitatibus generalibus, ad speciales jam accedamus, & primo quidem de utilitate venti, perpetuo ab oriente versus occidentem intra tropicos dominantis, pauca in scenam proferamus. Deinde motio-

motionum & ventorum violentorum subitaneorumque ex alto ruentium, ut & variabilium reliquorum, mentionem breviter injiciamus. Inter constantes ventos primum iure locum obtinet, quem intra tropicos & in maribus zonæ torridæ, quibus sol magis quam aliis terræ partibus est perpendicularis, semper dominantem constituit divina providentia. Ne calor solis lites nimias in atmosphæra hic moveret & intenderet, tyrannidemq; plane exerceret, non modo insignis copia vaporum quotidie adscendit, sed etiam ventus perpetuo dominans hic adest, quo dupli modo solis ardores mitigantur. Præterea ope tam perpetui hujus venti, quam constantium reliquorum periodicorum, navigationes ad loca remotissima promoventur; quorūcum cum unius diei, nec mensis aura secunda pervenire non valeamus, fixioribus opus erat ventis ad immensa illa oceanii spatia peragranda. Cessarent itaq; expeditiones nostræ in utrasque Indias, nisi hi aëris fluxus constantiores itineribus illis faverent; idque illa benignitate, ut rarissima sint sub prolixis his navigationibus pericula aliqua vel navigantium labores. Ut taceamus, quod antea monuimus generatim, horum potissimum ventorum beneficio reddi regiones æquatori vicinas habitabiles, quas nonnulli veterum, suas speculations sequti, experientiam vero non consulentes, torridas & præ æstu immenso desertas autumarunt, quas tamen recentior ætas, cui nihil quod lucrum præbeat, invium est, non habitabiles modo,

modo ; sed etiam salubres , & omnium rerum non ad victimum cultumque modo , sed ad voluptatem quoque pertinentium , abundantes invenit.

§. VII.

Utilitates denique ventorum inconstantium inconspicuum prodibunt. Sunt inter hos , quos violentos & subitaneos salutare moris est. Quamvis hi multa incommoda interdum nobis adferant , ita ut naves submergant , arbores evellant , ædificia & turres subvertant , adeoque sint justitiae Divinæ ministri ; attamen omnem illis utilitatem abjudicare impium eslet. Quod in morbis conclamatis evenire solet , ut nimirum medici ad ægros gravissime decumbentes & conclamatos curandos adhibeant medicamina vehementia & heroica ; idem hic obtinere judicamus , ut nimirum , dum tractus quidam atmosphæræ noxiis evaporationibus & exhalationibus adeo inquinatus est , ut illius maligna diathesis a ventis pacificis corrigi non possit , hi fortiores aëris pigritiam ventilando emendant. Apparet hoc vel exinde , quod vere potissimum & autumno irruere soleant ejusmodi venti procellosi & turbulentii , quando nimirum maxime eget aër dissipatione hali- tuum , qui , nisi aveherentur , perniciem viventibus adferrent longe maximam ; & terrena quoque superficies opus habet , ut concutiatur & mundetur. Hinc vehementiores illas tempestates pro singulari Divinæ provi-

providentiæ indicio jure agnovit Woodwardus. Accedit, quod hæ in primis vegetabilium femina late dispergant. Venti variables moderati eas conciliant regionalibus temperatis aëris vicissitudines, quæ illis sunt convenientissimæ; efficiuntque, ut per maria minora, fluvios & lacus frequens sit navigiorum itus redditusque, quod fieri non posset, si perpetuis & stabiliорibus ventis etiam in illis concessum esset dominium. Sed in medio curriculo vela ventis data contrahere jubemur, & in portum naviculam subducere. Vel ex his brevissime & festinanter adductis, appareat, recte judicasse Senecam: *DEus dedit ventos ad custodiendam cœli & terrarum temperiem, ad evocandas & supremendas aquas; ad aleandos satorum atque arborum fructus.* Divinam vero sapientiam proni & supplices adoramus, quæ illo admirando artificio naturam rerum adornavit, ut si vel abessent ea, quæ ut contingentia, fortuita neque adeo magni momenti ad integratatem totius considerare solent homunciones, integrum tamen ædificium inde detrimentum caperet irreparabile. Exemplo erit nobis ventus & aëris motus; qui, quamvis levissimi pretii ab imperitoribus judicetur, ita ut vix divinæ bonitati ulla, pro tantillo, ceu illis videtur, beneficio egerint; eum tamen habet in universi incolumitatem influum, ut si cessaret, turbaretur non societas humana modo, sed etiam naturæ ordo. Nubium tegumento carendum nobis esset. Nulla foret terræ aquatio, Evacuaretur ætherei pabuli cornu copiæ,

unde

unde jam viventia omnia, quantum opus est, quo-
libet momento hauriunt, ita ut tantundem semper
illis apponatur. Herbae exsiccarentur. Animalia
perirent; & ornatum gloriarnque globi nostri
omnem profligaret vastitas
& solitudo.

SOLI DEO GLORIA.

